

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.



1659.

1. Böckelmannus, Joh. Fredericus: De renuntiacionibus
2. Chmus, Henricus David: De libello
3. Chmus, Henricus David: De juris dictione.
4. Chmus, Henricus David: De litis contestatione
5. Chmus, Henricus David: De honestate mulierum.

1660.

1. Böckelmannus, Joh. Fredericus: De vectigali a
vectore defraudato.
2. Chmus, Henricus David: De thesauris

1661.

1. Böckelmannus, Joh. Fredericus: De actionibus
2. Böckelmannus, Joh. Fredericus: De lege Regia
Romanorum.
3. Böckelmannus, Joh. Fredericus: De navi et navigatione
4. Rampeck, Sebastianus: De magis imperii

1662.

1. Bockelmann, Joh. Fridericus: De tempore legali
2. Chrus, Henricus David: De praestationibus in contractibus.

1663.

1. Bockelmann, Joh. Fridericus: Juris communis et Electoralis Palatini circa processum Judiciorum in II Judicium parte differentiae principes.
2. Bockelmann, Joh. Fridericus: De expectativa feudali.
3. Ranspeck, Sebastianus: De remediis adversus nimiam unius vel paucorum civium excellentiam.

1664.

1. Chrus, Henricus David: De dominio.
2. Chrus, Henricus David: De usucapionibus et praescriptionum materia
Pufendorf, Samuel:
3. ~~Coyet~~ ~~Gustavus~~ ~~Tobias~~: Dissertationis super rebus gestis
Philippi Augustae.

Handwritten marks and fragments on the left edge of the page, including a vertical line and some illegible characters.





QUOD DEUS BENE VERTAT! 1.
DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS, 1659, 171
EX
FREQUENTI ET CELEBERRIMA
RENUNTIATIONUM
MATERIA DESUMPTA,

QUAM,
EX DECRETO ET AUTHORITY
MAGNIFICI, NOBILISSIMI
AMPLISSIMI ET CONSULTISSIMI ICTORUM
ORDINIS, IN ANTIQVISSIMA AC CELEBERRIMA ELECTORALI
HEIDELBERGENSIUM VNIVERSITATE,

MODERANTE
VIRO NOBILISSIMO EXCELLENTISSIMO ET CONSULTISSIMO
DN. JOH. FRIDERICO
BÖCKELMANNO,
J. U. D. ET INSTIT. PROFESSORE
ORDINARIO,

PRO
SUMMIS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS IN VTROQUE JURE
rite consequendis,

Publico Eruditorum Examine subijcit
JOHANNES BERNHARDUS PEHR
MOENO-FRANCOEVRTENSIS.

Ad diem 26. Nouembris horis locoq₂ consuetis.

HEIDELBERGÆ,
Apud ÆGIDIUM WALTERUM Acad. Typogr. Anno 1659.

VIRIS GENEROSIS, MAGN. NOBILISSI-
MIS AMPLISSIMIS ET CONSULTIS-
SIMIS

DOMINIS,

PRÆTORI,
CONSULIBUS,
SCABINIS,
SYNDICIS

ET CÆTERIS LIBERÆ REIPUBL.

FRANCOFURTENSIS AD MOENUM

SENATORIBUS,

PATRIBUS PATRIÆ

EMINENTISSIMIS;

Dominis Patronis Mæcenatibus Venerandis

Dissertationem hanc Inauguralem

In debitum obsequium,

Humiliter & officiosè

Dedicat Offert

AUTHOR.






I quis auspiciatur ab Invocatione No-
 minis divini, sequitur inde bonum ini-
 tium melius medium & optimus finis,
 nihil enim rectè nihilque sapienter nos
 homines auspiciari possumus sine Dei immortalis
 auxilio; l. 2. C. d. off. Præf. Præt. Afr. Nov. 109. in
 præfat. Nov. 6. in præfat. Nov. 164. in cuius nomi-
 ne ego hanc Dissertationem inauguralem omnes-
 que meos actus aggredi conabor; & cum Deo pro-
 pitio haud dudum de argumento aliquo iuridi-
 co, quod ad Disputationem inauguralem esset
 utile, cogitarem, sequutus Monitorem IC. Pau-
 lum in l. 25. in prin. de liber. legat. quotidiana
 pressius rimari & ob utilitatem evolvere ple-
 nius convenire monentem, de frequenti Renun-
 tiationum materia presenti hac Disputatione
 quedam tantum proponere animum induxi
 meum; Omnes enim renuntiationum species, re-
 censere & invenire velle, laboriosum magis erit
 quam utile & subtile teste. Iacob. Butring. tr. de re-
 nunt. inf.

A 2

TH. I.



T H E S I S I.



Definitur renuntiatio rei vel Juris sui spontanea & voluntaria repudiatio, *Host. in summ. tit. de renunt. Andr. Dalnerus tract. de Renunt. cap. 1. num. 15.* Juris autem nomine intelligo hic generaliter, omnia juris comoda & beneficia presentia & futura, propria tamen non aliena, *argum. l. 21. C. Mand.* alieni enim juris improba & inutilis est renuntiatio. *tt. C. res inter alios act. Giph. tract. Renunt. c. de defn. & divis. renunt.*

T H. II.

Renuntiatio quo verò Jure introducta sit (cum omne jus aut consensus fecerit verbis nimirum expressus *Coras. de art. Jur. c. 20.* Cum populus ceurariatim vel plebs tributim quod vellet, juberet *Coras. d. l. p. 2. c. 11.* aut constituerit necessitas, supplendo nimirum vel emendando leges scriptas, ne vel deficiendo vel excedendo offendatur æquitas, aut firmaverit consuetudo. *l. penult. ff. de ll.*) primò inquirendum erit.

T H. III.

Quicquid alii sentiant, ego Renuntiationem quæ in contractibus fit ad jus constitutum per consensum referendam esse duco, cum quilibet rei suæ moderator sit & arbiter *l. 21. C. mand. l. 46. de pactis l. 29. C. eod.* Illam verò quæ de successione

fionibus

tionibus fit, ut legibus & Juri publico repugnantem *l. 15. C. de pact.* Consuetudine primò introductam & jure Pontificio confirmatam esse puto, unde ad jus per necessitatem constitutum referri non potest, cum neque lege ullâ expressim introducta, sed potius prohibita semper inveniatur.

TH. IV.

Sequitur Divisio, juxta quam Renuntiatio alia est generalis alia specialis. *Andr. Daln. d. tract. de renunt. cap. 2. n. 1.* Illa fit, quando quis omni juris auxilio tam Canonici, quam civilis renuntiat; *Andr. Daln. d. cap. num. 2.* quo casu omnes juris articuli, quibus posset se quis juvare & tueri habentur, ac si specialiter essent enumerati, quibus omnibus ex certa scientia renuntiari solet. Renuntiationis generalis eadem vis est ingenere, quæ specialis in specie. *l. 51. in fin. de Admin. tut. l. si charus. 79. in prin. ff. de legat. 3. Giph. ad l. 2. C. de rescind. vendit. Tiraquel. ad l. 8. C. de revoc. don. num. 22. Diss. Rittershus. p. 2. ex pos. Nov. c. 2. num. 21. Perez. de fidejuss. num. 23. Sand. decis. 11. def. 4. per l. 3. Cod. de fidejuss. taciti enim & expressi par virtus est. Daln. d. cap. num. 9.* Hæc specialis nimirum fit, quando certo alicui juri renuntiatur. *Andr. Daln. d. c. numer. 4.*

TH. V.

Hic quæritur, an is qui omni juris beneficio renuntiat, renuntiasse etiam intelligitur beneficio flatuti: sic sentio. *Lud. Rom. Cons. 251. Grav. Cons. 290. num. 5. argum. l. 9. ff. de just. & jur.*

TH. VI.

Specialis porrò renuntiatio vel rerum est universalium, ut hæreditatis, vel singularium: Deinde renuntiatio fit vel tacitè vel expressè, *l. 2. & 4. de pact. Andr. Daln. cap. 3. num. 1. & 2.* Illa, quando actus aliquis geritur, qui illam necessariò

(6)

infert & significat, hæc, quando verbis claris & ad eam inducendam aptis renuntiatur. *dic. Daln. cap. 3. nu. 4. & 6.* quod rursus pure vel sub conditione fit. *Menoch. Conf. 78. num. 22.*

TH. VII.

Renuntiatio etiam alia simplex est & nuda, alia non nuda causam & synallagma continens, qualis est cum filia inter pacta dotalia successioni paternæ solent renunciare; Alia etiam personalis est, alia realis: illa personæ adhæret, nec in alium transit. *argum. l. 25. §. 1. de pact. & l. 7. §. 8. eod.* quæ tamen divisio magis facti est quam juris, cum quid actum est sit considerandum. *d. §. 8. l. 8. §. 16. quibus mod. pign. solv. l. 9. de probat.*

TH. VIII.

Despiciendum porrò est, qui renunciare possint vel non; renunciare autem prohibentur, qui consentire nequeunt vel natura vel lege; quales sunt infans, qui ut intellectum ita & consensum nullum habet. *§. pupillus. 9. Instit. de inut. stip.* Furiosus, cujus nulla voluntas est, nec intelligit quid agat furiosus. *l. 1. §. furiosum. de oblig. & act. l. 5. ubi Dec. l. 40. & l. 124. §. 1. de R. I. l. 2. §. 3. de iur. cod. Andr. Daln. de renunt. cap. 5. num. 11.* nisi furoris intervalla habeat, quo tempore quin renunciare possit, dubium non est. *l. 2. C. de cont. empt. §. preterea. Inst. quibus non est permis. facere test.*

TH. IX.

Et qui furioso comparatur ebrius. *c. venter. dist. 35. c. sane 15. q. 1.* quia in ebriis nulla est ratio, nullum vitæ gerendæ rectum consilium, nulla artium nec gestorum aut lectionum memoria, inde ebrii vitam edormire dicuntur, furiosis etiam & mortuis; comparantur *Gail. lib. 2. obs. 110. nu. 24. & 28. Daln. tract. de renunt. cap. 5. num. 16.*

TH. X.

TH. X.

Prodigus qui tum demum dicendus est prodigus ad eum effectum ut administratio bonorum ipsi adimatur, cum à Magistratu ipsi interdicitur *l. 40. de R. I. l. 6. de V. O. l. 10. 15. & 16. §. 1. de cur. fur. 2. argum. l. 27. de minor. ibi. ut merito ei (scilicet prodigo) debeat interdici & tamen valent ejus acta, restitutione enim opus & debet interdici ; Ergo non statim interdictum est §. item prodigus ; Instit. quib. non est permiffum fac. test. Gædd. de contrah. stip. c. 7. concl. 10. ubi ad contraria respondet. Treutl. p. 1. disp. 6. th. 5. in fine ubi plures allegat.*

TH. XI.

Pupillus, qui sine tutoris autoritate *l. 28. de pact.* ne naturaliter quidem obligatur. 1. quia tale pactum ratum non est. *d. l. 28. nec itaque à Prætore servabitur l. 7. §. 7. eod.* Et per consequens neque naturalem obligationem quæ ex pactis oriri solet producit. 2. Ant concedimus pupillo consensum aut denegamus: si concedimus, consensus contra leges est, nec obligationem quæ habeat effectus naturali obligatione à jure attributos producere potest, neque enim oritur naturalis obligatio ex quo lex resistit. *l. 46. de fidej. Dec. ad l. 22. nu. 2. de R. I.* Si consensum denegamus, obligationem certè naturalem oriri etiam negabitur. *l. 13 in fin. l. 29. & 41. de cond. indeb. l. 59. de obl. & act. §. præterea. Inst. quib. mod. toll. obl. Cujac. in l. 127. de V. O. Gædd. de contrah. stip. c. 7. nu. 212. & seqq. vid. Treutl. p. 1. disp. 6. & 5. lit. d. aliter alii.*

TH. XII.

Servus ex propria persona non renuntiat. *l. 118. de R. I. l. 41. de pecul.* Deportatus utique cum Civitatem tantum non etiam libertatem amittat. *l. 17. §. 1 de pæn. l. 5. de bon. damn. §. minor. vel media. Inst. de cap. dim.* Deportatus enim post condemnationem bona sibi acquirere potest *l. 22. §. 5. ff. mand. quæ fiscus*
viventis

viventi non aufert, sed in iis post mortem ejus succedit. l. 7. §. 5. de bon. damn. l. 2. C. de bon. proscript.

TH. XIII.

Sed quid sentiendum de minore, num iste absque Curatoris consensu renunciare queat. aff. ex contractu enim rectè obligatur. l. 43. de obl. & act. arg. princ. inst. de curator. l. 3. ff. de obl. & act. l. 101. ff. V. O. l. 20. ff. de rit. nupt. Moller. 3. semest. 18. Diss. Gædd. de contr. stip. cap. 7. num. 263. Don. in d. l. 101. & Dd. ferè communit. per l. 3. C. de rest. in int. neque enim Curatoris regitur auctoritate, quæ personam ad actum legitimare solet, sed consilio tantum. Cujac. in d. l. 101. & 19. obs. 33. Vult. 1. discept. 16. Beneficio tamen restitutionis in integrum uti non prohibetur. l. 1. C. si advers. rem jud. l. 20. C. transf. facit l. 44. de minor. & tali modo etiam restitutioni in integrum minor renunciare potest, quamvis contra suam renuntiationem possit restitui. l. 1. l. 7. §. 9. de minor. Giph. tract. de renunt. cap. 3. de act.

TH. XIV.

Quò recto jam ordine eamus, è re erit ut videamus de rebus quibus renuntiat. Ubi pro regula tenendum, omnibus licentiam esse juri pro se introducto renuntiare, l. pen. C. de pact.

TH. XV.

Renuntiatio iur. publ. Renunt. libertatis. Patria potestatis.

Non rectè igitur renuntiamus juri publico, quod publicæ utilitatis causa constitutum est, l. 7. §. 7. l. 38. de pact. Unde quoque nec ingenuus libertati renunciare potest. l. 6. C. de lib. caus. & Parens patriæ potestati prohibetur renunciare, vel filium per abdicationem abalienare. l. abdicatio. C. de patr. potest. tum quod nulla subsistat inter patrem & filium obligatio. l. 13. C. de transf. tum quod pater nullo penè modo cogi possit filios è potestate dimittere. §. ult. Inst. quibus mod. toll. jus pat. potest.

TH. XVI.

Patronatus.

De Patrono magis dubitatur, an Juri Patronatus possit renun-

renuntiare? Dico successioni quæ ex leg. 12. Tab. ipsi debetur & obsequio renuntiare quidem ipsum non posse. *l. 9. ff. de obseq. parent. prest.* at servitutem libertati contrariam tam tacite quam expressè ut & operas libertis remittere posse; sed quia moribus nostris jura hæc servitutis & quæ inde dependent, exulant, multum nunc de iisdem disputare, inutile; revocari ea fortè magis expediret Reipubl. nostræ, ut vult Scipio Gentil. in Epist. Pauli ad Philemon. c. 4. nec enim servitus religioni Christianæ juriq. divino repugnat. *1. Cor. 7. vers. 21. ad Ephes. 6. v. 4 ad Coloss. 3. vers. 22. 1. Timoth. 6. v. 1. ad Tit. 2. vers. 9.*

TH. XVII.

Præses seu Legatus Cæsaris Magistratu se abdicare nequit *l. 20. de off. Præsid.* puta absque concessione & nutu Principis, est enim munus publicum, quod ut inviti suscipimus ita perfungimur. Idem est in quolibet Magistratu, non verò in Imperatore, quod voluit Bart. *in d. l. 20.* Princeps enim Magistratus non est, Magistratus namque dicitur cui à populo vel Principe Reipubl. procuratio est commissa. *Cujac. in Papin. ad l. 20. Obrecht. tract. de jurisdict. c. 11. in pr.* Attamen sunt nobis exempla quorundam Imperatorum, qui ob senectutem & morbum abdicato Imperio privatam vitam egerunt; quales fuere Imp. Lotharius & Carolus V.

TH. XVIII.

Sic quoque muneribus & officiis Ecclesiasticis non rectè nisi permittente Pontifice & causâ prius cognitâ, renuntiat. *c. nisi. de renunt. Host. in summ. de renunt. n. 8.*

TH. XIX.

Fori præscriptioni tam tacite *l. 4. C. de jurisd. omn. jud.* Fori præquam expressè renuntiat. *l. penult. C. de pact.* adeò ut non requiratur consensus vel licentia Judicis ordinarii, sed partium sufficiat; nisi tamen re ipsa partis interesse ceperit, negotio videlicet jam capto, tum enim indistinctè tenet renuntiatio;

B

captum

captum autem negotium seu Judicis aditio facta videtur per quemlibet actum factum in judicio etiam ante litis contestationem, *arg. eorum quæ tradit. Gail. 1. obs. 74. n. 10. & seqq. Wesenbec. parat. de in jus voc. n. ult.*

TH. XX.

De Clerico-

Sed quid num Clericus pacto renuntiativo efficere potest: ut rectè coram Judice laico conveniri queat? de jure civili fieri hoc posse non dubitatur. *l. si quis. 51. C. de Episc. & Cler.* Secus verò de jure Canonico, nam tale privilegium fori non est personale sed Ordini Ecclesiastico publicè indultum. *c. si dilig. de for. comp.* Et separata sunt eo jure Ecclesiastica jurisdictio & secularis. *Gail. 1. observat. 37. n. 1.*

TH. XXI.

Studiofo

Item in Studiofo statuo renuntiationem non valere, cum jurisdictioni Rectoris per juramentum se subjecerit, quamvis de jure Civili secus sit. *Auth. habita C. ne filius pro pa-*

Renuntia tre.

TH. XXII.

tio feria-
rum

De feriis an hisce à partibus renuntiari possit quæritur: ubi distinguo inter solennes seu ordinarias, deinde inter repentinas seu extraordinarias ab Imp. ob res prosperè gestas, concessas *l. 26. §. si feria. ex quib. caus. maj. l. 3. C. de dilat.* Illis nisi sacrae sint & principaliter, partium non publicum favorem concernentibus *l. 2. de feriis. c. ult. extra eod.* renuntiari potest. *l. 6. de feriis* his non item *Gail. 1. obs. 53. num. 16. & seqq. Vital. tract. Claus. tit. an feriis poss. ren.*

TH. XXIII.

Transact.
seu re-
nunt. fu-
tu alim

Transactio seu renuntiatio futurorum alimentorum quæ ex contractu debentur, est permessa *arg. l. 80. de solut.* quæ verò ultimis voluntatibus relinquuntur, nisi permittente prætore renuntiando remitti non possunt *l. 8. de transact. l. 8. C. eod. Vit. d. tract. tit. an fut. alim. ren. poss. l. 80. de solut. Cuj. in d. l. 8. Duar. cap. 2. de transact. & 1. Disp. 44.* in tantum autem renuntia-
tio hæc

tio hæc reprobatur, ut nec juramento confirmari possit, cum ipso jure nullius momenti habeatur *l. 8. §. 17. de transact.* est enim contra jus publicum, quo supremæ hominum voluntates defenduntur *l. 3. de testament. Bart. ad d. l. 8. Bald. ad l. 3. num. ult. C. de collat.* Quod tamen quoad jus canon, dubium videri possit.

TH. XXIV.

Litis contestationi, quæ Iudicii initium est. *l. 1. C. de Litis cont. lit. contest. ubi Cujac. l. 25. de rei vind.* non potest renunciari, per eam enim Judex causam cognoscere debet. Ut igitur iudicium sine causæ cognitione esse non potest, ita nec sine litis contestatione *c. un. de lit. cont. Gail. 1. obs. 74. & 75. And. Daln. tr. d. renunt. cap. 9. n. 10.*

TH. XXV.

An autem productioni libelli possit renunciari? *Ne- Libelli
go per Auth. offeratur C. de lit. contest.* verb. offeratur, quia est modi imperativi & necessitatem inducit, & verb. litis ergo contestatio in fin. Est enim hæc solennitas ad utilitatem Iudicis introducta, ut sciat super quo ferat sententiam *Bart. & Dd. in d. Auth. Vital. tit. an solenn. jur. poss. ren.*

TH. XXVI.

Juramento item calumniæ expressè renunciare non possumus: nam per tale factum calumniis via aperiretur, & sic per consequens turpitudinem contineret, quod fieri non debet *l. 2. §. sed quia 4. C. de jur. propt. calumn. dand* ubi ratio cum nec consuetudo juramentum hoc remittens valeat *c. cæterum de jur. cal. c. constitutus. de fidejus.* tacitè tamen remitti potest, quod fit eo ipso, quando à parte altera non exigitur *c. 1. §. propter d. jur. cal. in 6to. l. 34. §. qui jusjurandum 4. de jurejur. Gail. 1. obs. 85.*

TH. XXVII.

Defensionum item maximè in causis criminalibus

renuntiatio non valet : sunt enim juris naturæ, cui derogari nequit. *Clem. pastoralis in fin. ferè. de re iud. argum. l. liber homo ad L. aquil. publiceque interest quemlibet defendi. l. 33. §. 2. de procur. l. 6. de appell. Felin. in c. si diligent. numer. 3. de for. compet. Daln cap. 8. num. 3.*

TH. XXVIII.

Probatio-
num

Probationibus quoque non rectè renuntiatur. *gl. in N. 40. §. quia verò.* Judici enim non partibus factum probandum est ; quod tamen ad allegationes trahendum non est. *Auth. jubemus C. de judic. Cùm plerunque sint superflua.*

TH. XXIX.

Querela
inoff. te-
stam.

Inofficiosi testamenti querelæ patre vivente filius renuntiare non potest. *l. 35. §. 1. ff. inoff. test. post mortem verò patris hæredibus potest. d. §. 1. & l. 17. ff. eod.* Renuntiasse tamen non censetur petitioni supplementi legitimæ si agnoverit simpliciter id, quod minus legitima relictum est, cum hac adjectione ut ea parte contentus esse debeat. *l. 32. & 35. §. 2. C. eod.*

TH. XXX.

Cautio
usufru-
ctuarii

Cautio usufructuaria sive veri sive quasi usufructus neque testamento. *l. pen. C. ut inposs. l. 6. ff. eod.* neque conventionem ipsius proprietarii inter vivos remitti potest, utroque enim casu militat ratio quam Dd. tradunt, ne amoto cautionis hujus metu fructuarius pro libidine sua in re fructuaria malè versari possit (quæ tamen ratio satis tuta non videtur, cùm fructuarius, si usufructu abutatur, aliis remediis coerceri possit, non solum enim statim committitur stipulatio *l. 1. §. 6. usufr. quemad. cau.* Sed & usufructu privari potest & à proprietario expelli. *argum. auth. qui rem. C. de Sacr. Eccl. l. 9. §. fin. l. 22. de damn. inf. l. 17. §. 1. de nox. act. Cravett. Cons. 300. Castillo. tr. de usufr. c. 21. Bart. in l. 1. C. de usufr.*

TH. XXXI.

In contractu mutui dubitatur an Exceptioni non nu- *Renunt.*
meratae pecuniae renuntiari possit, ita ut amplius ea opponi *except.*
nequeat? Neg. tam facile enim ad renuntiandum quis indu- *non num.*
citur, quam ad cautionem conficiendam, & Creditor vincet *pecun.*
facile se numerasse licet non numerarit, si non possit convin-
ci vel repelli exceptione, tum quia haec renuntiatio aequitati na-
turali contraria videtur, ut debitor solvat quod non accepit,
eaque re creditor locupletetur cum alterius iactura, contra aequi-
tatem naturalem. 2. quia si dolus futurus Creditori in-
noxius esset, ad delinquendum facile invitaretur, contra l.
27. §. 3. de pact. arg. l. 6. de off. praesid. gl. Bart. Bald. & Dd. in l. 7.
C. non num. pec. Duar. eod. tit. in fin. Covarr 2. var. 4. num. 3.

Th. XXXII.

Filium familias ne quidem interposito juramento SC. *Renuntiat.*
Macedoniano renuntiare posse verius arbitror. *argum. l. ult. SC. Ma-*
C. non num. pec. Neque enim jus patitur, fraudem alicui pro- *ced.*
desse, quae hic praesumitur in eo, qui ad jurandum adigit fi-
lium familias, quem scit juris beneficio esse tutum. *Gomez. 2.*
var. res. 6. num. 2.

Th. XXXIII.

Neque mulierem SC. Vellejano, indistincte renuntiare *Vellejanis*
posse certissimi est juris *argum. l. 1. §. 1. ff. ad SC. Vellej.* Quando-
que tamen recte renunciat, si id fiat in iudicio aut extra judi-
cium, etiam quidem cum juramento tamen aut ad minimum
certioratione l. ult. §. pen. ff. ad SC. Vel. *argum. l. 41. C. de transf.*
act. auth. Sacramenta puberum Cod. si adv. vend. Hottom. ad
ff. d. t. Azo. summ. Cod. eod. Sich, in rubric. C. eod. Anton. Fab. eod.
Hahn. ad VVes. ff. eod. Excipitur casus. l. ult. C. quand mul. tut.
off. fung. possit. Atque haec est comm. DD. opinio teste Hahn.

d. l. Gail. 2. obs. 77. Bocer. in class. ad SC. vell. Diff. Bach. alii- que.

TH. XXXIV.

Renunt. l. 2. C. de resc. vend.

Renuntiationem legis 2. C. resc. vend. valere & jure permissam esse inter omnes constat. l. pen. C. de pact. l. 14. §. 9. de AEd. ed. num verò generalis sufficiat an specialis requiratur controvertitur : generalem sufficere arbitror : valet enim renuntiatio nisi in casibus exceptis inter quos non reperitur beneficium d. l. 2. Sed num valeat renuntiatio hæc si læsio non tantum dimidium justipretii excedat, sed etiam enormissima sit, affirmatur : Dum enim generaliter huic renun- ciatur beneficio, ab omni id excluditur casu.

TH. XXXV.

Renuntia- rio casus fortuiti in locatione

In locatione ex certis causis pensionis remissionem habent conductores l. 8. C. locat. l. 25. §. vis major. 6. ff. eod. c. propter sterilitatem extr. eod. Quæro si huic remissioni renuntietur & casum fortuitum in se recipiant conductores, num remissionis illa renuntiatio extendatur ad omnem casum etiam insolitum aff. per l. 9. §. 2. junct. l. 15. §. 2. ff. locat. non enim dicitur casus fortuitus nisi insolitus sit & rarò contingat, ut dicit. Bald. in l. 4. §. 4. si quis caut. Cravett. cons. 294. num. 8. Setzer. tr. d. jur. lib. I. c. 25. n. 58.

TH. XXXVI.

Renuntia- tio cessio nis Emphy- teuseos

Emphyteuta invito domino maximè fisco emphyteu- sine cedere seu renuntiare non potest arg. l. 2. C. de jur. Emphyt. ib. si dominus voluerit l. 3. C. fund. patrim. lib. II. 2. quia est con- tractus qui mutuo dissensu dissolvi debet l. 35. de R. I. Tiraq. tract. d. retract. §. 34. gl. I. Giph. tr. de renunt. Sed, quid si domi- nus fecit pactum de non expellendo emphyteutam licet intra triennium canonem solvere cesset, num valet talis renuntia- tio ? utique, cum hoc commissum receptum sit in utilitatem domini ; Neque est verendum invitari hoc pacto ad delin- quendum



quendum emphyteutam, cum alio modo ut solvat, cogi possit
gl. Bart. & DD. in d. l. 2. ubi & Sichard.

TH. XXXVII.

Num dominus recipiendo post commissum cano-
nem censetur tacite commissio renuntiasse? aff. (quod tamen
in Emphyteusi Ecclesiastica secus est. Nov. 120. cap. 8. Jas. in
d. l. 2. num. 124.) nec enim videtur dominus jure suo uti velle,
qui canonem recipit l. 4. C. de pact. int. empt. arg. l. 10. §. 1. de pact.
l. 4. §. labeo ff. dol. mal. except. Imò si dominus Emphyteutam
expellit, canonem petere non potest. Ergò si canonem reci-
pit illum expellere non debet gl. in d. l. 2. & ib. Sichard. n. 14.
Clar. in §. Emphyteusis q. 10.

TH. XXXVIII.

Pignus cum quilibet creditor remittere possit. l. 73. de ^{De remissio-}
pact. l. 23. C. de pign. l. 1. C. de remiss. pign. Mulierem etiam non ex- ^{sione}
traneo solum sed & Marito recte illud remittere, nec locum ^{pignoris}
esse. Scto Velleiano statuo. l. 8. ff. ad Scto Vellej. l. 11. & l. 21. C. eod. l.
11. quib. mod. pign. solv. Remittere n. intercedere non est, cum in-
tercedere sit pro alio se obligare, qui autem pignus remittit, nec se
nec res suas obligat; Creditor verò pacto remittere non potest
ut omninò pignus non distrahat: hac enim ratione pignus,
non esset pignus, ut cui jus distrahendi inseparabiliter cohæret
arg. l. 3. §. 2. qui pot. in pign. ; Sed tamen efficit hoc pactum, ne
statim vendere possit nisi trina denuntiatione intercedente;
quam trinam denuntiationem triginta diebus cum Obrecht.
Disput. 15. Th. 372. concludo arg. l. 21. §. 1. de const. pec. & l. 68.
cum seq. ff. de judic.

TH. XXXIX.

Sed num maritus tit. C. ne fidej. dor. dent. renuntiare ^{Renuntia-}
possit? aff. Hoc enim casu cessat legis ratio 2. arg. l. 2. C. d. ^{tio tit. C.}
tit. ib. nullum fidejussorem esse exigendum non est prohibiti- ^{ne fid. dor.}
va ex parte mariti, sed ex parte uxoris tantum, ne illa scilicet ^{dent.}
exigat.

exigat à marito invito 3. *arg. l. 8. §. 4. de fidej. junct. §. 1. Instit. de satisd. tut. Vital. tr. claus. fol. 289. Duar. ad tit. de jur. dot. cap. 4.*

TH. XL.

Renuntia-
tio tutela

Recepta olim erat renuntiatio tutelæ, ut tutor alii tutelam cedere posset, qui tutor cessititius sive cessicus dicebatur *Vlp. in fragm. tit. 13.* Sed quoniam tutela publicum est munus, quod ipso jure obtinet etiam in invitis, idcirco hodiè excusatio certis tantum de causis permessa est, non renuntiatio.

TH. XLI.

Ordine titulorum servato videndum jam de pactis successionum, seu renuntiationibus rerum quæ per universitatem nobis adquiruntur: Doctores pactum successorium quadruplex constituunt: adquisitivum, dispositivum, conservativum, renuntiativum *Natt. ad c. quamvis de pact. in 6to. n. 87. & ibid. Dauth. in princ.*

TH. XLII.

Melius videtur in duo posse genera dividi videlicet in pactum de succedendo & in pactum de non succedendo.

TH. XLIII.

Renun-
tiat. suc-
cessionum

Utrumque legibus civilibus improbatur, quasi repugnans juri publico, hoc est *leg. 12. tab.* sive de testamentaria sive de intestati successione agatur. *l. ult. de suis. & legit. l. 3. qui test. fac. poss. l. 120. & 130. de verb. sign. l. ult. C. de pact. l. 3. §. 2. ff. pro soc.* Proinde injuria fit legibus, si quod jura certo & solenni modo fieri constituerunt, id privatis pactioibus transferatur 2. quia viventis hæreditas sui naturâ dominio alieno exempta est, non igitur in obligationem deduci potest, *§. idem juris Instit. d. inut. stip. l. 1. de hered. vel act. vend. gl. in l. pact. C. de collat. Vasqu. de succ. lib. 2. §. 18. in pr. & num. 39. Fab. 12. dec. err. 4. Wesenb. in §. Codicillis. Instit. de codicill.* plures rationes & varias limitationes vid. apud *Dauth. d. l.* Doctores variè dissentiunt *gl. in l. 1. §. parens ff. si à*

ff. si à par. quis manum & Covarr. in d. c. *quamvis* §. 4. num. 10. putant pactum per quod filius excluditur jure civili improbari, non illud per quod parens excluditur à filii hæreditate. d. §. si parens. quales opiniones refutat Fab. 14. dec. err. 5. Wesenb. in par. tit. si quis à par. manum Corasius 7. misc. 32. & Somb. de Feud. p. 9. n. 54. ubi tradunt pactum de non succedendo omninò non improbari jure civili, nisi cum filia paciscitur cum patre, quæ non voluntate led ob paternam reverentiam renuntiâsse censetur; sed nec hæc opinio vera, quia jus successionis à jure publico dependet, quod pactis privatorum non mutatur. l. 38. d. pact. Ramatus ad d. c. *quamvis*. num. 14. vult pactum de succedendo ab intestato jure civili valere, etiamsi is de cujus agitur hæreditate non consentiat, per leg. si quis. servum. de act. empt. non autem valere, ubi speratur successio ex testamento nisi tertius consentiat l. ult. C. de pact. Sed nec hæc sententia jure probari potest l. 4. C. de inutil. stip. Dauth. ad fin. C. de pact. n. 102.

TH. XLIV.

Atque hæc de jure civili, Jus autem Canonicum pactum de non succedendo juramento vallatum ratum habet ob salutem animæ & religionem juramenti *c. quamvis de pact. in quo* *610.* Quod tamen eatenus admittendum puto, si tertius de cujus hæreditate agitur consentiat, ne alioquin in detrimentum tertii hæc pactio redundet, & votum inducat, captandæ mortis *Zaf. in l. stipulatio hoc modo de verb. oblig. num. 31 Vasq. d. l. num. 53. Fab. 12. decis. err. 4. inf. & 14. decis. err. 1.* Adeò autem juramentum requiritur, ut quamvis paria sint juramentum præstare, vel à deferente remitti l. 5. §. fin. cum l. seq. de jurei. hoc casu remitti non possit, sed actualiter præstari necesse sit: Cùm remissio in juramento litis decisorio non in confirmatorio contractus locum habet *Vasq. n. 138.*

TH. XLV.

An autem filia promittens se pronuntiaturam hoc ipso renuntiâsse censetur? Nego: Ut enim aliud est promissio de venden-

C

vendendo aliud venditio, sic aliud est si quis renuntiat, aliud si promittat se renuntiaturum: Neque enim ex promissione alia nascitur actio quàm personalis, qua quidem ut renuntiet cogi potest. *Giph. tr. de renunt. f. 17. And. Daln. tr. de renunt. cap. 1. n. 54. & cap. 17. n. 15.*

TH. XLVI.

Neque tamen porrigenda erit *d. constitutio c. quamvis* ad pacta quæ sunt de succedendo, est enim correctoria & ideo strictè accipienda. *Covarr. ind. c. quamvis p. 3. in pr. Cacher. decis. 100. num. 31. Fab. 14. decis. err. 1.* Requiritur etiam ut huic *c.* sit locus, ut dotata filia inveniatur, quia hoc *ind. c.* pro forma requiritur, quæ omninò servanda est, cùm jus sit limitatorum & strictius idcirco accipiendum 2. quia filia indotata non spontè, sed metu vel dolo inducta renuntiâsse censebitur, & propterea doli exceptio danda quasi stipulatio sit sine causa *l. 2. §. circa d. dol. mal. except. Zas. in l. stipulatio hoc modo d. V. O. num. 37. Fab. 13. decis. err. 7. Dauth. ad c. quamvis n. 81.*

TH. XLVII.

Requiritur quoque ut dotata sit filia ex illius bonis, cui renuntiat, renuntiatio enim ex *Dd.* sententia ad bona ejus pertinet qui dotem constituit, *Covarr. ad cap. quamvis. §. 4. n. 7. Fab. 14. dec. er. 2. Dauth. n. 93.*

TH. XLVIII.

De immodica læsione, dubia incerta & ambigua est quæstio, eritque semper ejus controversiæ electio periculosa, affirmante *Vasquio*, num scilicet ratione gravissimæ læsionis renuntiatio filia rescindi debeat? Placet affirmativa, quod si filia minor siue major sit propter enormissimam læsionem restitui possit: ex capite de dolo, licet enim dolus ex proposito non adsit, erit saltem incidens in contractum, vix enim est non fuisse dolum adhibitum in tam grandi læsione. *l. 17. §. 1. ff. quæ in fraud. cred. Cravett. cons. 7. n. 6. & Cons. 191. num. 10. Menoch. cons. 1. num. 495. & cons. 6. num. 7. Gail. 2. obs. 147. in primis Dn. Bartholomæus Kellenbentz hanc quæst. præclare tractavit in quæst. 42 per tot.*

TH. XLIX

In æstimanda verò læsione non tempus renuntiationis sed mortis patris, quo de læsione quæritur, inspiciendum est, quamvis enim renuntiationis statim valeat, viresque accipiat, habet tamen tacitam conditionem si quandoque hæreditas deferatur, illud igitur instans spectandum est quo pater moritur. 2. quæstio est de læsione hæreditatis vel potius legitimæ, quæ tamen defuncti est non viventis. *Fab. 13. deces. er. 5. Covar. d. c. p. 3. §. 1. num. 2.*

TH. L.

An autem *d. c.* in Judæo successioni renuntiante & iurante locum habet? Nego, 1. quia jure Civili tale iuramentum non valet, jus Canonicum verò in causis peccati & conscientiarum, cum Christianis tantum non judæis agit. *Rom. Cons. 155. Vasq. nu. 170. Natt. d. l. num. 23.* 2. quia in judæis & infidelibus nulla animæ perditio considerari potest, *vid. Dn. Kellenbentz plura de hac quæst. tractantem in eleganti suo tract. de renunt. success. q. 10. p. tot.* Dicit etiam cap. tam in filio quàm in filia locum habet. *Vasq. num. 88. Zas. d. l. num. 28.* Et tam in maternæ & fraternæ quàm paternæ successionis renuntiatione; ratio enim quæ ponitur in religione iuramenti æque in utroque casu militat. *Diuth. ad d. c. quamvis. num. 40. Giph. d. tract. fol. 62. And. dal. tract. de renunt. cap. 4. numer. 59.*

TH. LI.

Filia igitur hereditati renuntians ad bona patris nullum habet regressum, nisi testamento vocetur, tum enim non obstante iuramento, etiamsi omni successioni tam testamentariæ quàm legitimæ renuntiasset, nihilominus admittitur, *argum. l. 33. de bon. libert. c. 20. de jurej. argum. c. 2. de renunt. patrum enim contraria voluntate tollitur, §. fin. Instit. quibus mod. toll. obl.* Quod adeò verum est, etiamsi filia patri & fra-

tribus renuntiasset, nondum enim fratres jus habent ex patre quaesitum sed quaerendum, quod enim ex patris providentia habere videtur, destinatum potius ipsis est quam acquisitum, *vid. Covar. d. l. p. 3. in pr. num. 7. & Fab. 13. decis. err. ult.* Regresum etiam renuntians adhuc ad successionem habet fratribus patre vivo defunctis, etiamsi adjectum esset, propter dotem fuisse renuntiatum; quia cessat ratio exclusionis. 2. juramentum valere intelligitur rebus sic stantibus. *l. 8. de condict. caus. dat. 3. argum. l. 102. de condit. & demonst. Rom. Conf. 22. num. 3. Vasq. n. 118. 144 & 146. Cravett. Conf. 42.*

TH. LII.

Idem erit si ii in quorum favorem factam esse renuntiationem constat, succedere noluerint vel non potuerint; fortassis ex hæredatione, pro mortuis enim habentur, qui non succedunt, *argum. §. qua de caus. Instit. de success. libert. Vasq. num. 178. Marant. disp. 10. Fab. 13. dec. err. 9. in f.* Quod & tum verum est, quando filia bona materna ut hæres fratris petit, *argum. l. 19. C. de jure liber. Covarr. d. l. numer. 2. Vasq. num. 179.* Sed non extenditur renuntiatio ad ea bona quæ parentibus ad secunda vota transeuntibus auferuntur, *ex const. Imp. l. feminas §. illud. & l. 6. C. de sec. nupt.* acquiruntur enim illa liberis non jure successionis sed in poenam parentum *Covarr. d. l. n. 1. Fab. 14. decis. err. 3. Giph. d. tr. fol. 58.*

TH. LIII.

Sed num filia successionem renuntians etiam videatur legitimæ ejusque supplemento renuntiasse? aff. Nulla enim legitima competei cui nullum jus succedendi ab intestato superest. *l. 6. in prin. & §. 1. de inoff. test. Crav. Conf. in 11. 13. Menoch. Conf. 71. num. 5. Fab. 12. decis. err. 5. Setzer. de juram. lib. 1. c. 25. num. 66.* Quamvis autem filia, quæ renuntiavit, ad hæreditatem non admittatur, partem tamen nihilominus facit in
com-

computatione legitimæ, hoc est, computatur in numero liberorum, habet enim renuntiatio hanc conditionem, si quandoque successio deferretur, delatio namque ut præcedit acquisitionem, ita & repudiationem, *Myns. 4. Obs. 22. Boër. decis. 104. Fab. 12. decis. err. 3. & 8.* Et propterea nec filiam renuntiantem impunè patrem præterire posse dicimus, quin nullum sit testamentum, in quo filia quæ semper in potestate mansit præterita reperitur. *l. 1. ff. de ini. rupt. irrit. fact. test.* Quamvis enim acquisitionis incapax sit, delatio tamen à lege nunquam impeditur. *de hac quest. Dn. Kellenb. tr. de renunt. success. q. 37. per. t.*

TH. LIV.

Aliud dicendum est in filia statuto à successione exclusâ, hæc enim si præterita est, testamentum esse nullum facere nequit: habet enim statutum vim legis, quæ non acquisitionem modo sed & delationem impedire potest. *Natt. in d. c. quamvis n. 370. Fab. 30 dec. err. 2.*

TH. LV.

De eo etiam disceptari solet an filiarum renuntiatio excludat nepotes ab avi hereditate vel iis noceat; quod nego, si patre ad huc vivo filia decesserit, tum enim rectè una cum avunculis admittitur, cum succedant in locum vel potius gradum matris, idque legis ipsius beneficio, quod ipsi auferri non debet, licet parens hæreditatis incapax sit. *l. 3. de interd. & rel. 2.* Renuntiatio hæc fit sub tacita conditione, si hereditas defertur: non igitur existente conditione, pro non facta habebitur. *Bart. ad l. 94. de acquir. her. Bald. in l. fin. C. de pact. Castr. in l. pactum. C. de collat. Cravett. Cons. 127. Fach. 3. cont. 23. ubi refert. dissentientes.*

TH. LVI.

Renuntiatione hereditatis limitatè seu cum exceptione factâ, ut, si fratres sine hæredibus masculis decedant, integrum

reservatum sit jus filiae ejusque hæredibus, quæri solet, an frater eo casu testamento alium hæredem exclusa sorore instituere possit? Nego, quia hæc exceptio de regressu est juris sui conservativa. 2. hoc jus conditionale est debitum ex contractu & prædicta reservatione: transmittitur igitur ad hæredes. §. *ex conditionali. Instit. de Verb. obl.* & sic cum suo onere transeunt bona ad quemcunque devoluta; *argum. l. 1. C. de donat. ca. mort. Cravett. Conf. 127. num. 9. Giph. d. tr. fol. 64.* Filia autem pacto tali exclusa, num à fratre cautionem de non dissipando nec dilapidando bona, & de hæreditate restituenda in casum, quo sine liberis decedat, rectè petit? N. Quia hæc bona patris, facta sunt proprium patrimonium ipsius filii, non ergo libera administratio ipsi est adimenda. 2. quia iniquum esset propter incertum successionis jus filiae, certum jus filii lædi.

TH. LVII.

De Exclusionem
suscensionum
que statu-
to induci-
tur.

De statutaria exclusionem quæritur, num sicut filia pacto ita & statuto exclusa, fratribus se hæreditate abstinentibus, ad paternam admittitur hereditatem! Aff. neque enim statuto abrogatur jus civile, vel omninò excluditur filia, sed tantùm favore masculorum extantium jus ipsius est in suspensio. *argum. l. 21. §. fin. de jur. patr. l. 6. §. 2. de bon. libert. l. 2. §. 8. ad SC. Tertyll. & ibid. Bart. Bald. in l. maximum vitium C. de liber. prat.* Num autem statutum fæminas dotatas excludens, masculis extantibus, habeat etiam locum in hæreditate materna? aff. neque enim censeo distinguendum esse, an ex bonis paternis vel maternis dotetur, cùm statutum principaliter respectum habeat ad sexum Masculorum, nec sollicitè inquirat undedos constituatur.

TH. LVIII.

Quæritur ulterius an filia à successionem patris exclusa, succe-

succedere possit in Emphyteusin quam pater pro se, filiis & filiabus accepit, quasi succedat tanquam filia, non tanquam heres patris? Neg. hæc enim duo conjunctim requiruntur *Nov. 7. c. 3. in princ.* Ut filii sint & heredes *ibid.* & in duobus eiusdem personæ heredibus & rursus. alioquin non transire ad alterum hæredem: 2. si non jure successionis, sed ex stipulatione patris transiret Emphyteusis in filios, sequeretur posse patrē filiis per stipulationem acquirere: At pater filiis stipulari vel pacisci nequit. *l. 17. §. 4. & l. 21. §. nos autē 2 ff. de pact. l. 7. de pact. dot. l. 38. §. 17 de V. O. l. 11. de obl. & act. §. si quis alii. Inst. de inutil. stipul.* Et hæc de renuntiationibus successionum; qui plura de ista materia scire desiderat, potest sibi acquirere Dn. Bartholomeum Kellenbentz qui latè & utiliter hanc materiam tractavit.

TH. LIX.

Sequitur in Materia donationum, an insinuationi donationis, sive legibus insinuationem requirentibus possit renuntiarī, Neg. esset enim hæc contra jus & leges. *l. 25. 27. & 34. in prin. ib. sed hoc pro non scripto. C. de donat. Nov. 162. c. 1. §. 1. Vital. tract. Claus. f. 432. Dn. Kellenbentz tr. renunt. succes. q. 6. per. t.* nec refert an donatio in Ecclesiam vel pias vel alias causas conferatur. *l. 19. C. de SS. Eccles. l. 34. §. 1. C. de donat. Sichard. in d. l. 34. num. 20.* De jurata renuntiatione magis dubitatur, numne juramento firmetur? quod de jure civilii rectius negatur. *l. 5. in fin C. de leg. de jure verò pontificio affirmatur. c. cum contingat. de iurei. Vit. dict. loc. Va sq. de success. §. 29. n. 18. Giph d. tract. f. 42.*

De re-
nunt. Insi-
nuation.
dona-
tionum.

TH LX.

Inter causas revocandæ donationis refertur supervenientia libero-
rum, dubitatur à plurimis, an parens *l. 8. C. de rev. don.* possit renuntiare, ut *l. 8. C. de
revocare donationem non valeat? aff. nam ratio legis non consistit in fa-
vore liberorum, sed in jure patronatus, & præsumpta mente testatoris,
quod de liberis non cogitavit: imò potest pater liberis jam natis illisque
invitis alteri donare, ergò & nondum natis præjudicare donando potest
salvâ tamen liberis legitimâ, l. 5. & tit. C. de inoff. don. ubi Wes. in par. Cujac.
§ obs. 14. & 20. Bart. in l. 87. §. Imperat. num. 8. de leg. 2. Tiraq. in d. l. 8. in præfa-
sione, n. 63. 87. & seqq. Clar. in § donatio. q. 22.* An autem, ut huius legis re-
nuntiatio

De renun-
rev. don.

nuntiatio valeat requiritur, an specialis sufficit generalis renuntiatio omnium legum beneficiorum, quibus donatio posset revocari? Hoc placet; sufficit enim in genere de liberis cogitasse; *arg. l. 7. de mil. test. Tiraq. d. l. n. 78. & n. 115. 2. arg. l. 6. accept. Giph. d. l. f. 56. Dn. Kellenb. qu. penult. & Daln. in suo tract. de renunt. cap. 4. n. 75. & 13. n. 3.*

TH. LXI.

Renunt. l. ult. C. d. rev. don. rev. don.

Revocari etiam donatio solet ob ingratitude criminis *l. ult. C. d. rev. don.* Quæro si pacto conventum sit ne donatio ob ingratitude revocetur, an non obstante hoc pacto revocationi locus sit, ita puto, hoc enim pactum esset contra bonos mores. *l. 6. C. d. pact. Natta. in l. d. c. quamvis. n. 107. Obr. Diss. d. donat. 3. th. 107. Dn. Kellenb. & And. Daln. dict. antea locis.*

TH. LXII.

Renunt. Cessionis bonorum.

Cum priscis temporibus debitores qui iudicatum non facerent, conjici in vincula & suppliciis affici moris esset, lege Julia tandem hæc asperitas mitigata & debitoribus indultum est beneficium cessionis bonorum, quo bonis cedendo creditoribus, vinculorum injurias subterfugerent *l. 1. & 7. C. qui bon. ced.* Quæro num huic beneficio renuntiare valeant. *aff. per l. 2. C. d. exact. tribut. & c. 9. d. jurej. l. 3. §. tutores. 16. ibid. gl. C. qui bon. ced. Covar. 2. Var. res. 1. n. 7. Vasq. de. Succ. q. 29. n. 17. Vital. tr. Claus. tit. an cess. bon. poss. ren. Andr. Daln. cap. 12. n. 10.*

TH. LXIII.

Renunt. cedend. actionum

Datur correis debendi & fideiussoribus beneficium cedendarum actionum quo creditor ei qui totum solvere paratus est, præstare cogitur suas quas habet actiones: *l. 17. d. fidej. l. 65. de evict. l. 47. ff. locat.* Huic beneficio rectè renuntiant non modò specialiter sed & generaliter *Bart. in l. Modestini. de Solut.*

TH. LXIV.

Renunt. Beneficii Divis. fidejussorum

De beneficiis divisiis fidejussorum d. quib. *in l. ult. C. de const. pec. §. 4. Instit. de fidejuss.* dubitatur, an generalis renuntiatio valeat; valere puto, neque enim in jure invenitur vel epistolæ. D. Adriani vel beneficio excussionis non nisi specialiter posse renuntiare *Toming. Decis. 47. Gail. 2. obs. 26. n. 21 Moll. 1. Semest. 16.*

TH. LXV.

Renunt. appellat.

In criminalibus causis, appellationum renuntiatio non valet. *l. 6. de appell. in causis verò civilibus etiam generalem renuntiationem admitto l. 1. §. 3. ff. à quib. app. non lic. l. ult. §. ult. C. de temp. app. & ibid. Bald. c. sollicitudinem 54. de app. Felin. in c. si diligenti d. for. comp. n. 7. tandem ipsemet quoq; in præsentiarum argumenti huius longiori deductioni renuntio & finem impono.*

Interea

DEO OPTIMO MAXIMO SIT
LAVS HONORET GLORIA.

ULB Halle
003 619 079


3




Sb.

VD 77







QUOD DEUS BENE VERTAT! 1.
DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS, 1659, 171
EX
FREQUENTI ET CELEBERRIMA
RENUNTIATIONUM
MATERIA DESUMPTA,
QUAM,
EX DECRETO ET AUTHORITY
MAGNIFICI, NOBILISSIMI
AMPLISSIMI ET CONSULTISSIMI ICTORUM
ORDINIS, IN ANTIQVISSIMA AC CELEBERRIMA ELECTORALI
HEIDELBERGENSIUM VNIVERSITATE,
MODERANTE *Dep. XCs*
VIRO NOBILISSIMO EXCELLENTISSIMO ET CONSULTISSIMO
DN. JOH. FRIDERICO
BÖCKELMANNO,
J. U. D. ET INSTIT. PROFESSORE
ORDINARIO,
PRO
SUMMIS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS IN VTROQUE JURE
rite consequendis,
Publico Eruditorum Examini subijcit
JOHANNES BERNHARDUS PEHR
MOENO-FRANCOEVRTENSIS.
Ad diem 26. Novembris horis locoq; consuetis.
HEIDELBERGÆ,
Apud ÆGIDIUM WALTERUM Acad. Typogr. Anno 1659.